

SS. in quibus tamen nihil, unde de loco, tempore, possessore statuas.

LXVI.

U. 70 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 376. 4. tribus exaratus columnis, media crassiuscule scripta, fittit *Psalterium* utrinque *Postillis Nicolai de Lira* O. M. stipatum, quae multoties typis excusa sunt. Praefatio inchoat: *Propheta magnus surrexit in nobis. Luce VII. Quamuis liber psalorum apud hebreos &c.* Igitur imperite quis *Conradi Salzer* nomen praefixit. Celebre fuit *Salzeri* nomen in Academia nostra, sed is *Ambrosius* fuit et Sec. XVI. floruit. Reperitur quidem apud *Ederum* et in *Locheri Spec. Acad.* *Conradus Selder* vel *Selder de Rotnacker* Procurator Rhen. et Philosophiae ad ann. 1449. 59. et 66. Decanus, Rector item Acad. a. 1461. qui fortasse *Salzer* scribendus erat, at certo de Codice nihil nisi operam calami, aut possessionem sibi vindicare potest. Ad calcem *Psalterii* legitur: *Finitum in 3^a feria post oculi.*

Fol. 374. p. 2. Exponitur Oratio Dominica hoc ingressu: *Pater noster. Circa istam orationem quedam notanda sunt in generali. primo quod ista oratio dominica populo debet dici alta uoce ut audiat et discat. Hinc greci habent istam consuetudinem quod eam una cum sacerdote cantant. Istam orationem precepit gregorius in missa super eukaristiam dici, sed scolasticus*

composuit aliam ibidem dicendam. Ex his coniecta de toto.

LXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 72 Folior. 408. 4. coagmentatus est e diversis sacri argumenti Opusculis a diversis conscriptis, quorum potissima haec sunt: *Psalmi Davidici* priores VIII. et post eos *Cantica Biblica* cum expositione quadam. Fol. 28. p. 2. Quaesita varia de Statu religioso, de Fide, et Personis divinis. Fol. 37. Prolusio in laudem Philosophiae moralis in illud *Senecae L. I. Epist. 8. Philosophie seruias ut tibi contingat vera libertas.* Fol. 39. Farrago Positionum ex omni Theologia, ubi Nomina *Alexandri de Halis* sive *Alensis*, *Thomae*, *Bonaventurae*, *Durandi*, *Henrici de Hassia*, *Nic. de Lira* &c. Fol. 177. Sermones X. quorum priores IX. habiti in *Cena Domini*, et ex his VI. ad *Scotos* Ord. S. *Bened.* *Vien.* annis 1441. 42. 44. 45. 47. 48. ut Clausulae subjectae docent; decimus vero in *Festo Purificationis* ad Membra Academiae *Vien.* Fol. 289. *Sermo Domini cardinalis Cameracen. factus in Concilio constant. die dominica qua cantatur Letare ierusalem Anno &c. 1416.* Init: *Letare ierusalem. Hoc breue uerbum magni gaudij expressiuum &c.* et habetur inter Opera *Petri de Alliaco* edita *Argent.* 1490. f. Fol. 297. *Traclatus de reformatione ecclesie, cujus initium: De reformatione ecclesie plura dudum per me scripta nunc*